



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas  
Psalmorvm Decades**

**Luther, Martin**

**Basileae**

**VD16 L 5540**

Iudicare pupillo & humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37005**

dicit) simul sunt summe necessaria & uehementissime consolatoria. Omnia enim tunc machinis impij blasphemis & tyranni contraria simulantur & tentantur. Ideo longe ultra sensum & captum, in purissima fide rerum non a parentium, solumque sperandarum, deinde praesentium contemnendarum, discuntur & intelliguntur. Sicut iam saepe dixi, Psalterium esse gymnasium fiducij cum fide. & spiritus, ut qui sine fide legat, tenebras solum & gelu legat, sine luce, sine calore manens: Fides autem non nisi in passionibus uigeat, quanto acrisius, tanto speciosior.

Iudicare pupillo & humili, ut non apponat ultra magnificare  
homo super terram.

Gracissantem interpretem, ubi iudicare, pro, ut iudices dixit, alij taxauerent. Pupillum quoque uocat, quem superius orphanum. Et humilis est, contractus ille Dach, quem superius psalmo. ix. pauperem, Hieronymus hic, oppressum uocat, ut intelligamus derelictum, & passionibus obrutum populum Christi. Hebreus sic distinguuit: Ad iudicandum orphanum & pauperem, non adder ultra, seu in sempiternum, ad magnificandum homo de terra. Vbi uerbum ad detuel apponat, absoluto statu milie poni putatur, in hunc modum: Non addet id est, non erit additio, non augebitur, sed hic sistet & finietur, non erit hoc amplius, ut fortis & terribilis sit homo de terra. Habentque uerba in hebreo, decorum & miram gratiam. Primum, homo dicitur אָנוֹן Enosch, qui, ut psal. viiiij. diximus, miser, oblitus, & desperatus sua Etymologia dicitur: Cui componitur mira rerum Antithesis & repugnantia, Laarotz, id est, ad magnificandum: quasi rei indignitatem detestetur, qd Enos infelix tantum sibi arroget in hoc mundo, ut tyrannica uiolentia, magnus, fortis, terribilis & gloriolus aduersus prios haberi uelit. Deinde pulchra uocum allusio est, Magnificare, & de terra לְעַד־אֱנוֹנָה Laarotz enosch min haareth, magnam Antithesin includens, ut indignum sit hominem ultra hoc quod Enos est, de terra natus, & in terram reuerlus, in terra, & de terra sic superbire, quasi illud Ecclesiasticum dicat: Quid superbis terra & cinis?

Est etiam uerbum Magnificare, aequiuocum hebraicis, significans (ut Reuchlin ait) terrori, pauere, horrere: Sicut fortes & magni tyranni formidantur. Et ab eo tremore passus significatur altera significatione terribiles illi & magni, superbi & fortes, ut non inepte queamus hunc uerbum etiam sic uertere: Non erit ultra, ut formidet (scilicet pupillus & pauper) hominem de terra. Quo sensu Zach. Lucae. j. loquitur: Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi: In sanctitate & iusticia coram illi, omnibus diebus nostris. Et utrumque sensum & significatum in unum cogamus, sic intelligentes totum uerbum: Ad hoc exaudisti domine cor eorum, ut iudices causam orphanorum & afflictorum: Et tandem finis sit tyrannis ipsius infelicitibus hominibus superbieri & magnificandi aduersus pauperes: Rursum pauperes alii quando liberati, te exauditore & iudice, deinceps non metuant, neque terreatur, neque opprimatur ab homine de terra. Ita uidet psalmum hunc finem suum, in finem mundi & iudicij diem constituere.

Psalms